Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/leonardiginiicor00gini_1

LEONARDI GINII

CORTONENSIS

In Funere Serenissimi Cosmi Medicis Magni Etruriæ Ducis

Funebris Laudatio ad Senenses.

CVM LICENTIA ET PRIVILEGIO



FLORENTIÆ

Ex Bibliotheca Iunctarum

M D LXXIIII.

SERENISSIMO FRANCISCO
MEDICI MAGNO ETRVRIAE
Duci ſecundo.

Leonardus Ginius Cortonenſis S. P. D.

QVVM Sereniſsime Dux triſtis acerbuſque nuncius de Sereniſsimi Patris tui morte allatus eſſet, dolui equidem, vt debui; ac dolori etiā indulgere coactus ſum. Scripſi igitur orationem, & eo quidem argumento, quo plures alios ſcripturos eſſe non dubitabam. Non tamen eo animo, quòd ſummos illos viros æquare dicendo aut conſiderem, aut ſtuderē, ſed vt officio meo aliqua ſaltem parte ſatisfacerem; & dolorem meum neſcio an lenirem, vel augerem potius, & aliquam lugendo oblectationem caperem. Accedebat, quòd vt me amici quidam mei, viriq. doctiſsimi, & prudentiſsimi admonebant, fieri poſſe videbatur, vt Senis & funus fieret, & oratio aliqua publice haberetur; quodſi accidiſſet, munus, cui præpoſitus ſum, id a me potiſsimum exigebat. Conſcriptam igitur oratiunculam compreſſam apud me domi habebam, nec patiebar emanare. Interea honeſtiſsimum, ac perluctuoſum funus Florentiæ ductum eſt, doctiſsimorumq. virorum orationes editæ ſunt. Quod quum viderem, veritus ſum, ne officio meo defuiſſe exiſtimarer; & beneficiorum immemor, ingratusq. haberer, niſi, quod præſtitiſſe alios videbam, ipſe quoque dolorem, animumque meum quoquomodo indicarē. Quare, quum neque cum ſuperioribus certare videri vellem, quibus primas ſemper conceſſerim, neque omnino ſilendum, immo aliquem animi mei teſtem dandum eſſe cenſerem; mediam quandam rationem ſequutus ſum. Itaque meas haſce lacrymas, meum hoc doloris, angoriſq. teſtimonium deſcripſi, & apud te vnum deponere, ac tibi vni commendatum eſſe volui; cui iam pridem me ip-

sum, meaq. omnia addixi & dicaui. Quod si propter inanem funeris expectationem serius factum est, quàm decuisset; ne quæso propterea contemnas. Meminisse enim potes, non minus habere suauitatis fructus illos, qui citius, quam qui serius maturuerint. Immo collectos, diutiusq. asseruatos tempestiuis ipsis accidere aliquando iucundiores. Quamquã non ita sum demens, vt eiusmodi fore meos confidam; cæterum, vt fideles penus dispensatores facere solent, eos qualesquales sint, tamquam ex penu tuo deprõptos, simulatq. promere licuit, tibi apposui. Qua in re fidem, animumq. laudare saltem debes, quem tibi vnum præcipue cognitũ esse vehementer cupio, idq. vnũ enitar semper pro viribus, atque contendam: neque vmquam ex me quicquam prodibit, quod tamquam tuum non extet (nisi te aliter sentire intellexero) Serenissimo nomine tuo decoratum. Hæc interim hylare, vt soles omnia, benigneq. excipias, iisque tuo arbitratu vtaris, & vel penitus, vt merentur, suppressa conscindas: vel si animum meum testatum notumq. esse omnibus æquum iudicas, edi ea, & vulgari patiaris. Deus Opt. Max. tibi imperium fortunet, optatisq. tuis omnibus respondeat.

LEONARDI GINII CORTONENSIS

IN FVNERE SERENISS. COSMI MEDICIS Magni Etruriæ Ducis

Funebris laudatio ad Senenses.

MAGNAM, Diram, longeq. aliã, quàm voluissem, uideo mihi Senenses necessitatẽ dicẽdi esse impositam. Pietas suadet, officium postulat, erũpit dolor, & occultari nullo modo patitur. O Fatum iniquum, & inexorabile; te ego non malum esse dicam? Vbi nam quæso ij sunt, qui mortem non modo non malum, sed bonum esse vel maximum contendunt? Equidem quamdiu vestrum omnium vultum palloremq. contemplor; quam diu lacrymas aspicio quamdiu non modo huius vrbis, sed Tusciæ vniuersæ immo Italiæ fletum, mœrorem, gemitũq. exaudio, numquam patiar mihi persuaderi vos boni, aut commodi alicuius opinione in eiusmodi eiulatum ac fletum fuisse adductos. Non bonis angi, sed malis atque incommodis homines consueuerunt: Quod si quis fieri vetet, durus nimis, ac pene ferreus dici potest, quiq. a communi hominum sensu, & sententia penitus abhoreat Nam si eorum, quos diligebamus, atque obseruabamus commodis dolere non debemus; num propterea nostra lugere nobis damna non licebit? Siquidem non id est felicitatem iis inuidere, sed hominem se esse ostendere, ac naturæ hominis aliquid concede-

re.

re. Scimus quàm commodissime cum Serenissimo Duce nostro esse actum; ipsumq. ad Deum Opt. Max. in beatorum patriam non dubitamus euolasse. Quid igitur? si optimum Principem, vel parentem potius amittere funestum est, atq. luctuosum, non lugebit Etruria, quæ Principem sapientissimum, & parentem charissimum amisit? Si splendore ac luminibus orbari graue est, & calamitosum, non angetur Italia, quę MAGNO COSMO MEDICE extincto præcipuo splendore, ac lumine est orbata? Immo si rem diligentius cõsideremus, videbimus profecto, non esse vllum apud Christianos locum, qui magnam COSMI MEDICIS morte nõ fecerit iacturam. Nemo enim umquam inuentus est, qui, rebus suis postulantibus, potentissimi huius, liberalissimi, ac prudentissimi Principis opem, aut consilium desiderarit. Nõ igitur eius mortem deplorabimus? æquo animo ipsum nobis ereptum fuisse patiemur? Nos, quos hoc præcipue malum tangit, prudentissimo, ac certissimo Duce, iustissimo Principe, humanissimo Parente amisso, nos inquam ornamentis, præsidiisque omnibus spoliati non dolebimus? non angemur? non cruciabimur? non mœrore, ac lacrymis conficiemur? O me miserum, O me infelicem. Ergo hæc vox, quæ qualiscumq. est, liberalissimi huius Principis benignitate alta, & aucta est, quæq. paucis ante annis pro amplificata eius dignitate in gratulationibus habendis fuit occupata, ad eiusdem laudes factaq. in acerbissimo, ac Etruriæ pene vniuersæ publico funere summo cum ploratu, & mœrore attingenda, fuit miserabiliter reseruata? Hæc vox, quæ tunc commune conceptum animis gaudium tanta cum alacritate promere conata est, nunc dolorem animiq. cruciatum dolens atque inuita dicendo refricare cogetur, ac retractando augere? Ergo prudentissimi, iustissimi, atque inuictissimi Ducis nostri defuncti laudes aggrediemur? quem viuum pro dignitate nemo vmquam satis se laudaturum sperare ausus esset? Faciendum tamen; & postremum hoc, qualecumq. sit, vt muneri nostro aliquid satisfaciamus, Duci nostro pro uiribus persoluendum. At quantum quæso hoc est? quam magnũ? quàm

quàm difficile? Serenissimus COS. MED. Magnus Etruriæ Dux deflendus, ac laudandus est. Hic modum potius, quàm copiam quærendam esse omnes vident. Etenim si, quæ dici possent, omnia vellem explicare; ante nos dies deficeret, quã dicendi finem facere possemus. At si orationi velim moderari, illud in oratione moderanda obiicitur difficilimum, quod eius gesta, virtutesq. omnes tãtę sunt, vt quancumq. omiserim, maiorem videri possim omisisse; quodq; non satis est, si mihi vni, si vobis omnibus, si Tusciæ, atque Italiæ satisfaciã; immo Christianis omnibus, immo vniuerso orbi esset satisfaciendum. Esset inquam consentaneum, vt mortales omnes intelligerent, me non temere omnino rem tantam esse aggressum; viresq. meas ad tantum munus aliqua saltem ex parte sustinendum esse idoneas. Quis est enim tam desertus & angustus locus, quis in orbe vniuerso angulus, quo non Medicum familiæ fama celebris peruaserit? quo non Medicum familię nomen non modo Magnificum, atque Illustre, sed etiam Illustrissimum, excellentissimum, Serenissimum, Maxime Reuerendum, Sanctissimumq. peruenerit. Videtis quot, quantaq. sint, quæ in præsentia homines expectent, quæ audire magnopere concupiscant; quæ præstari a nobis debere arbitrentur. Atqui equidem non faciam, vt me parua ac penẽ dissoluta rate tam vasto, tam profundo, immensoq. mari audeam committere. Patientur viri in omni vitæ genere excellentes; non ægre ferent reliqui Duces; Permittet Regia Maiestas; Non negabunt Cardinales; Concedent Pontifices, vt maximis clarissimisq. eorum gestis omissis, in vnius Magni COSMI aliquot virtutibus saltem attingendis, eiusq. interitu deplorando exercear. Non enim est mihi in præsentia propositum vt vel de aliis maioribus, vel de ipso etiam patre, de ipso Maximo Magni Ducis nostri patre, de ipso Ioanne Medice, qui & animi, & corporis robore, & rei militaris, ac bellicæ virtutis gloria tantum præstitit, vt eum iniquo Italiæ libertati fato periisse mœsta semper clamet, ac vociferetur Italia; vel de florentissima eius patria verba faciam. Satis superq. vnus est COSMVS. Quem quidem non

me fugit huiusmodi re parum, immo nihil potius delectari. Lacrymas enim qui felicitate vera fruitur, non postulat, quique viuens laude dignus esse, quàm laudari maluit, laudationes mortuus non desiderat. Verum tamen, quoniam neque nobis ipsis, neque aliorum desiderio satisfacere possumus, si tot tantasque virtutes taciti prętereamus, petemus ab omnibus, vt libenti animo quod possumus accipiant; neque maiora viribus nostris a nobis flagitent. Ac si qui forte sint, qui non satis hoc esse magnum, quod profitemur, existimēt, expendant, obsecro, & laudandi causas et plorandi; virtutes tanti viri, ac gesta contemplentur, ac demum eos respiciant, qui eius virtutibus ac gestis conseruatos sese, vel certe adiutos aperte, atque ingenue confitentur. Tantum certe hoc esse intelligent, quantum, non dicam ornari, sed vix vllius oratione posit explicari. Si a Florentinis, si a vobis Senenses ploratus vestri caussa requiratur, respondebitis profecto; vos ab hoc Sapientissimo Duce non a simulata, & nomine tantum adumbrata libertate, sed a seditione, sed a mutua ciuium vestrorum cęde ac tyrannide fuisse liberatos: Quod ipsum assiduo cum gemitu, & luctu cuncta etiam testabitur Etruria. Addet mœrens, ac lugens Italia, Duce hoc omnia, quæ in ipsa ardebant bella fuisse restincta. Iam Gallia, Pannonia, Germania, Melita, illæ quidem legionum, hęc vero classis Serenissimi COSMI virtutem, robur, atque auxilium tū maximum, tum utilissimum sensisse non sine lacrymis testificabitur. Hic nonne altius impressa liberalitatis, iustitiæ, pietatis vestigia vndique apparent? Quando igitur hæ vrbes, populi, nationesq. omnes hunc pro dignitate laudatum, & pro meritis, deploratum maxime uolunt, horum ego omniū uotis respōdere unus potero? Iam uero si Turcas, si perduelles Luterianos, & Vgonianos, si Afros quid de hoc uiro sentiant interrogemus, non dubito quin responsuri sint, se uires eius, & potentiam odisse, virtutes vero amare, & admirari, neque enim possunt, dum damna ab eo accepta memoria repetunt, non eius quoque virtutē meminisse, quæ in sui amorem vel inuitos trahit. Quis iam dicat de vno COSMO dicere

MO dicere non satis esse magnum? Quot umquam aut audiuimus, aut vidimus, aut legimus, quorum vita laudari debuerit vehementius, quorum interitus debuerit dolētius deplorari? Circumspicite obsecro Senenses, & virtutes omnes contēplemini, neminem, credo, inuenietis, quem in omni earū genere cum Duce nostro comparare possitis. Erūt aliqui in periculis fortes, atq. inuicti, quos tamen impietatis nota fœdabit: Erunt aliqui pij, ac religionis colentes; qui tamen vili & abiecto esse animo deprehendentur. Deniq. rari admodū ac pene null⁹ alius inuenietur, quin insigni aliqua virtute honestatus, vitium aliquod non leue habeat ad mistum. Iam, si Placet, ad Magnum COSMVM oculos, mentēq. referamus. Certe hunc vnum in quouis genere virtutum eminere ipsa quoque, inquit ille, vel in vita fatebitur inuidia. Atque, vt simul omnia cōprehendamus, de forma, & genere, deq. iis, q̄ ipsi non fecimus, quæq. vix nostra putanda sunt, quæ tamen omnia vel maxima in eo fuisse notius est, quàm ut oratione debeat explicari, de iis inquam, nullum verbum faciemus, nisi quatenus aliquot ex eius uirtutibus recensentes, ea quoque attingere coacti erimus. Quoniam vero cessans & ociosa virtus non modo non laudatur, sed ne cognoscitur quidem: quumq. virtutum omnium, & actionum moderatrix sit prudentia, si quæ a COSMO MEDICE gesta factaq. sunt respiciamus, quanta in eo viro & Duce fuerit prudentia & sapientia, & quot quantaq. eius ope omnium animi virtutum dederit documenta, non difficile intelligemus Etenim si sapiēter agere sapientis est proprium, maximam vel ab ipsa pueritia & quasi diuinitus insitam prudentiam, & sapiētiam in eo agnoscamus necesse est. Non dicam in præsentia illud vulgo iactatum, atque omnibus auditum. Carolum Q. Imperatorem sapientissimum Magni COSMI Consilio præcipue fuisse vsum. Non necesse est longius aduocare testes, ipsi nobis iudices testesq, sumus. Vanum est ab aliis petere, quod ipsi in manibus habemus. Quodsi quanta in eo prudentia & sapientia fuerit considerare velimus, ad ipsa rerum initia oculos, animūq. conuertamus. Proponite quæso uobis Senenses fa-

re.n. facile potestis, qui vel a maioribus vestris audistis, vel pleriq. et ipsi rei gerendæ interfuistis; puerum nobilissimum quidem, sed patre orbatum, sed opibus pene omnibus destitutum, a suis indigne depressum, nihil nisi de quieta trãquillaq. vita cogitantẽ. Huic Reip. suæ Principatus oblatus est, sed turbulentus, sed timoris, inimicitiarum, insidiarum plenus. Deterent amici, cognati dissuadent; mater dehortatur. Exigua retinendi spes, facultates nullæ, hostes opulentissimi. Intus insidiæ, foris exercitus comparantur. At sapientissimus, & fortissimus adolescens; durissima ac difficilima sibi conditione proposita, illud omnino futurum prospiciebat, vt nisi ipse impositum sibi onus, quamuis grauissimum susciperet, patriam cædibus, incendiis, rapinis, stuprisq. refertam militum libidine, ciuilibus discordiis, mutua ciuium tyrannide, ac tandem alienigīnæ cuiuspiam superbissimo dominatu oppressam videret, nam eo rei spectare exitus videbatur, exteræ vires omnia occupauerant. Hæc quum sapientissime animaduertit, tum fortissime exequutus est; Maluit enim pericula ipse omnia subire, quàm patriæ salutem deseruisse sibi conscius esse. Itaque diuino quasi spiritu impulsus, & Dei Opt. Max. ope, & auxilio confisus, a quo eam sibi dignitatem pro patriæ suæ salute oblatam quasi diuinabat, onus suscepit, eo quidem tempore illi præsertim ætati, illisq. uiribus grauissimum; quod tamen deinde compertum est, non tantum fuisse, quo ipse multo sustinere grauius non posset. Nam eam ciuitatem, quam & turbulentissimis temporibus, & peruersis hominum ingeniis, variisq. voluntatibus acceperat maxime perturbatam, paucis diebus consilio summo & prudentia reddidit quàm pacatissimam. vt comprehendere facile omnes posſint, hunc & ad eius vrbis, & ad tusciæ uniuersę quietem, & salutem nobis a Deo Opt. Max. Principem esse datum. Quod ipsum tot, tantisq. & certissimis signis cõprobatum est, ut nemini amplius de ea re liceat dubitare. Nam, vt hybernos flores omittamus, quod si uerum fuit, signum certe fuit maximum, sed tamẽ eiusmodi, quod & paucis fuerit notum, & quod cuiq. liberum sit fictum iudicare,

ea per Deum immortalem signa respiciamus, quæ omnibus notissima sunt, & luce ipsa clariora quæq. vocare in dubiũ nemo audeat. Quãdoquidem si nullum est periculum, quod non quottidie vitæ hominis immineat, nihil erit mirandum, periculum quãdoque aliquod innocentissimo Duci nostro fuisse creatum, quando in prauos hominum mores illud inductum est, vt quanto quisq. sanctius uitam ducat, tanto magis improbos atque inuidos habeat infestos. At vero ex eorũ insidiis euadere, id certe miraculi simile uideri debet. Nam si ea tãtũ vitare prudẽtia nostra nobis licet, quæ cognita nobis & aperta sunt, certe ad ea, quę latẽt deuitãda, uix poterit prudentia adhiberi. Quoties igitur memoria repetemus, non semel a sceleratissimis atq. inuidis, imo ab Italiæ pestibus integerimi Ducis nostri vitæ fuisse insidias cõparatas, ipsumq. ex oĩbus insidiis, atq. ex oĩ ui ereptũ fuisse atq. seruatum. toties non penitus sine consilio & prudentia, sed potissimum diuina ope incolumen euasisse intelligemus. Summus namq. seruator, & bonorum custos uim omnem insidiasq. omnes & inimicorum, & inuidorum irritas reddidit, atque. inanes. Non igitur ipsum & sapientissimum, & Deo gratissimum, esse dicemus? Recordamini Senenses, quoties hæc de Duce nostro vulgabantur, quoties eum in maximo aliquo periculo uersatum fuisse audiebamus, qui erat animus, qui uultus omnium? quantus mœror, quantus timor omnium mẽtes inuadebat? quam frequentia pro eius salute uota ab omnibus fiebant? Quem igitur saluum, conseruatumq. omnes maxime volebamus, nũc eo extincto abstinebimus a lacrymis? At quanta deinde cognita est eius prudentia in Repub. administranda, in nouis legibus condendis, in veteribus uel corrigendis, vel penitus abrogandis? Nouerat sapientissimus Dux ciuitates & Respublicas regi & conseruari non posse, nisi legibus & moribus fuerint optime institutæ. immo legibus citius, quã mœnibus esse muniendas. Neq. ipsum latebat exemplis magis, quàm legibus informari consueuisse homines, & coerceri. Habent enim omnes hoc natura insitum, vt libentes potius, quàm coacti fecisse omnia uideri uelint,

Itaq. illud studēt potiſsimū, vt imitati potius fuiſſe Principē, q̃ legibus paruiſſe, & pœnę metu quicquam feciſſe videantur. Quapropter quū innumera penè ſtatuerit nihil umquā ſtatuit in alios, quin idem ipſe princeps obſeruarit. Ac tanta fuit in hac re eius animi moderatio, vt quum ſibi omnia libera, & integra eſſent, nihil tamen præ cæteris niſi honeſtum licere vellet. Quamquam ſi hæc tanta videntur, quanta & omnes prædicant, & quanta certe videri debent, quàm ſapiens, quā moderatum, quàm liberale, quàm magnificum, quàm pium illud erit exiſtimandum? non ſolum ſupplicantibus perduellibus parcere, ſed vltro vt ſupplicarēt admonere, quin etiam obſtinatorum, iratorum, pertinaciumq. liberis, & eorū, quos vel occulte contra vitam & dignitatem ſuam coniuraſſe manifeſte comperit, & patriam, & fortunas, & honores incolumes conſeruare? Hoc eſt ſe ipſum vincere. Hoc iracundiā cohibere. Hoc aduerſarios iacentes extollere. Hoc Deo, quantum homini licet, ſe ſimilem oſtendere. Hoc ciuium inter ſe animos priuatim, & Principi generatim conciliare. Hoc deniq. eſt vitæ ſuæ non ſua, ſed publicæ, vtilitatis cauſa rationem habere. Hunc Principem non amabimus? non cōplectemur? non admirabimur? qui legum, iuriſq. ſeueritatem pietate, ac benignitate incredibili temperauit: non quòd quas condiderat, quibus primus paruerat, quarum conſeruandarum gratia non ſolum veteres confirmauerat, ſed nouos præterea magiſtratus adiunxerat, leges negligeret: ſed quia diligi potius, quàm metui volebat, & ciuium ſuorum vitam & beneuolentiam potius, quàm mortem, & fortunas expetebat. Quo fit, vt non ſolum homines ſumme ſe tam benigno Principi debere fateantur, ſed vrbes medius fidius ipſæ, & oppida, quinimmo vrbium & oppidorum parietes, & ædificia gratias ei agere geſtiant: quorum pleraq. liberalitatis eius, & magnificentiæ dant teſtimonium. Dum enim & honeſtati, & vtilitati conſulit, ædificia extruit magnificentiſsima, quibus vrbs ipſa, quibus magiſtratuum dignitas honeſtetur: templa inſtaurat, eaq. pulcherrimis aptiſsimiſq. tabulis decorat. Deniq. patriam ſuam aqua longius ducta fontibus,

tibus, columnis, statuis, aliisq. id genus rebus innumeris exor nat. Nouas urbes Cosmopolim, & Heliopolim terra mariq. cōdit. Paludes siccat. Portus constituit. Castella munitissima non solū in ditionis suę finibus, sed in singulis quibusq. præcipuis vrbibus ædificat, quibus & imperij fines, & singulæ quæq. vrbes ab hostiū vi & insidiis munitiores, sint, ac tutiores. Verū enimuero quū nullū sit uiris ipsis pulchri⁹ ornamētū, nullū sit munitius ꝓpugnaculū, eorūq. uis aut in rei bellicę pitia, aut in disciplinarū, & artiū cognitiōe sita sit, vtriusq. rei Dux prudentiss. habuit rōnē. Quid. n. ad suos optimis disciplinis instituēdos vtilius potuit, aut cōmodius excogitari, q̄ nobilissima Gymnasia & Pisis, & in hac vestra vrbe cōstituta? Quo viri in oī doctrinæ genere excellētissimi, ēt ex remotissimis regionibus mercede maxima accersiti planè indicant, Principē nostrū liberalissimū libenti animo coactos thesauros dissipauisse, vt maxime insignes doctrina & sapientia viros thesaurū cogeret præciosissimū. Hoc aūt quale quātūq. fuit liberalitatis, ac pietatis indiciū? Parū sibi fecisse visus est magnificētissimus Dux, si solos doctores magnis premiis ad docedū aduocasset: voluit igitur ēt auditores nō minimo ꝑcio coactos & cōductos habere. Nouū certe ac suauissimum violētię genus, homines ad suā ipsorū utilitatē quasi benignitate cōpellere. Decreuit. n. ut adolescētes ex ciuitatib. ditioni suæ subiectis certo numero coacti, septenis quisq. annis in Pisano Cymnasio studiorū, & litterarū caussa gratis aleretur. Quid hoc est nisi curare, vt unūquēq pudeat nō discere, quū tāta benignitate alliciatur ad discēdū? Quāq̄ nō solos disciplinis & sciētiis ꝑditos maxime coluit, sed pictores quoq. statuarios, & architectos quāti fecerit, eorū, scholæ q̄ frequētes Florētiæ visunt, declarāt, vt plane appareat, nullū inueniri disciplinarū artiūq. genus, qđ Ducis nostri liberalitate, in Etruria præcipue nō vigeat. Iā vero quū in suis oppidis & urbibus milites conscribit, ac peritissimos Duces erudiendi caussa singulis cohortibus assignat, non id curat, ut eosdem optimos milites, ac si quando opus sit, duces optimos efficiat? Addidit leuem quoq. armaturā, & cataphractos, Naualia præterea, triremesq.

remesq. extruxit, classemq. armauit, ut quoties necessitas po stularet, non minus pedestribus, quàm equestribus copiis, neque magis terra, quàm mari munitus esset. Quibus deinde prȩsidiis, & armis ad Tusciæ, & prȩcipue ad Christianæ Reip. salutem semper est vsus. Nam quemadmodum oblatum sibi patriæ imperium, vt ei quidem præesset inuitus, vt vero eam seruaret, libens accepit, sic eas deinde opes & facultates, viresq omnes ad christianorum omnium, sed potissimum ad Tusciæ vtilitatem, & conseruationem habuit paratas. Testes vos estis ipsi Senens. Patiamini quæso me hæc paulo altius, sed paucis repetere, neq. tã præteritæ molestię, quàm felicitatis, quę eam consequuta est, recordatio moueat animos vestros. Testes vos estis ipsi, qui propter aliquorum insolentiã, & arrogantiam, qui quum ęquitate & comitate retinere vos in officio debuissent, temeritate, & superbia sua a Principe suo, cuius auspiciis Remp. vestram diu administrastis, abalienauerunt, ad externas opes, externaq. auxilia confugere olim coacti estis. Qua re bellum, immo incendium in Tuscia maximum excitatum est, quo vos in bello afflicti, ac destituti, nec minus ab auxiliaribus, quam ab hostibus oppressi, non solum libertatis, sed etiam salutis amissa spe, maximis in angustiis, & miseriis versabamini. Hæc quum fieri uideret pius, atque omniũ, qui umquã fuerunt humanissimus Dux, quã uis eius urbis abtineret principatum, cuius ęmulæ aliquãdiu Senę fuerunt, angebatur tamen neque libenti animo ferre poterat, nullæ enim erant ei simultates, nulla erat ęmulatio, sed aperto animo, & sincero, quum alias Reipub. vestrę opes suas omnes fuerat liberalissime pollicitus, & re ipsa etiam prę stiterat, quod in maritimis vestris ad Cosas contra Turcas uidere pleriq. potuistis, tum eo tempore saluam eam esse maxime voluisset. Qui uos non ut alienigenas despiciebat, sed vt Tuscos, vt eodem genere natos animo, & beneuolentia complectebatur. Prȩterea tantum bellum, tam graue, tam intestinum robustius fieri, latius indies uagari, & altioribus niti radicibus pati ęquo animo non poterat. Videbat enim si hoc fieret, quàm non solum vobis, sed suis quoque, & vniuersę

Tuscię

Tuſciç, atque adeo Italiæ eſſet periculoſum. Itaque quum à Carolo Imperatore inuictiſsimo rogaretur, vt eius belli curã ſuſciperet, diutius rogari non eſt paſſus. Immo non odio, non indignatione aliqua, non priuato aliquo metu, non ſpe ſed vno Senenſium, ac Tuſcorum omnium ſalutis deſiderio impulſus, negotium ſtatim ſuſcepit. Quumq. rem gerere ipſe cœpiſſet, numquam deſtitit, quoad hoſtium copiis omnibus deletis, Tuſciaq. omni pacata, vobiſq. Senenſes reſtitutis, quoniam quod intenderat, quodq. rogatus fuerat confeciſſe ſibi videbatur, reliquorum curam cogitationemq. abiecit, exercituq. dimiſſo, ad ciuilia Reip. ſuç negotia ſeſe totũ conuertit, illud interea diligentiſsime curans, vt vos exhauſtos, exinanitos, ac diuturno bello conſumptos commeatu, cibariis, atque id genus rebus omnibus iuuaret. Qui tamẽ quũ nihil ſubleuari uobis videremini, nec in ea pace propter paucorum libidinem, & eorum pene ipſorum, qui alienationis cauſſa fuerant, quam ſperauiſtis quietem inueniretis, cuius tot malis, atque incommodis fracti, ac penitus debilitati facti eratis cupidiſsimi, cœpiſtis vobiſcum ipſi cogitare quomodo malorum aliquem tandem finem poſſetis aliquando inuenire. Quare quum prçſentem vitç conditionem minus probaretis, & prçteritç damna ac detrimenta repeteretis, prçterita, præſentiq. fortuna admoniti, numquam uos optatam quietem inuenturos eſſe ſuſpicabamini, niſi Principem talem nacti eſſetis, cuiuſmodi eſſe COSMVM MEDICEM, & veſtro & alieno exemplo commoniti, intelligebatis. Videntes enim eos, qui in eius ditione erant quietiſsimam vitam ducere, & tranquilliſsimam, ac tanti Principis çquitatem, iuſtitiã, & in ſuos benignitatem attendentes, illorum conditionem libertati ueſtræ vel veſtro ipſorum iudicio anteponebatis. Atque id eo cupiebatis ardentius, quod ſi fieret, non quemadmodum antea, inique, atque indigne oppreſsi, tamen propter Principis abſentiam, locorumq. interuallum, perpeti iniqua omnia cogeremini: immo ſi quid forte grauius accidiſſet ſemper eſſetis cum prçſentem habituri, quo & commodiſsime, & maxima cum fiducia confugeretis. Vota veſtra Deus

Opt. Max. respexit non minus, quàm Florentinorum Remp. aliquot ante annis respexisset, eoq. annuente factum est, vt vos, Carolo Imperatore volente, ac pene iubente, & Philippo eius filio Hispaniarum Rege memoris gratiq. animi causa assentiente, COSMVM MEDICEM Reip. vestræ Patronum, Principem, Ducemq. delegeritis. Qualem deinde vitã vixeritis, quàm ociosam, quàm quietam, & ab omni perturbatione penitus alienam, vester luctus eiulatusq. declarat. Qui quum pacis, tranquillitatis, & salutis vestræ amiseritis autorem, ita squaletis, ita affligamini, vt squalloris, & afflictationis finem, neque speretis, neque studeatis, inuenire. Adhuc .n. credo memores estis pulcherrimi illius & maximi facinoris: quod nisi fuisset maritima vestra vastata penitusq. eruta euersaq. videretis. Nam Turcarum insidiosissima classis dum per fœderis & amicitię simulationẽ per maria vestra vagatur, & Populoniam, quam sine ullo præsidio esse putabat, capere intendit, illud interea studet, vt maritimas regiones omnes, tam uestras, quam cuiuscumq. imperio subiectas populetur, ac vastet: neminẽ .n. qui CHRISTVM reuereatur et colat, amicum habet: neque fœdus frangere sibi videtur, si damna vel fœderatis inferat christianis. At Chiapinus Vitellius re cognita simulatq. descendisse eos accepit, Italũ Germanũq. militẽ in insidiis collocat: eosq. fidentius incedẽtes, & nihil tale opinãtes adoritur, & in fugã versos cędendo persequitur, vt vix mare persequentiũ vim atque impetum potuerit cohibere. vbi pauci & ij quidẽ saucij a triremibus suis excepti, effugerunt: quo facto & maritima periculo liberata & maria hostili classe purgata fuerunt. O nos vere felices & beatos, quibus tam prudentem, tam iustum, tam benignum, tam magnificum, tam pium & religiosum Principem contigit sortiri, & O certe beatissimos nisi ademptus tam cito nobis fuisset. Possem Senenses, atque omnium concessu possẽ huic laudationi finem imponere. Nam quæ huc usque tacta sunt, non modo sunt ad gloriam satis, sed tãta certe sunt, quibus nullius vel auidissimi animus plura cupere, nec maiora possit. Verumtamen quemadmodum nihil verendum est,

ne

ne assentationis gratia quicquam videar finxisse, sic illud est maxime cauendum, ne maiorem gestorum suorum partem Serenissimo COSMO videar inuidisse. Non quòd hęc ipse curet, qui dum vera felicitate, & diuino fruitur conspectu, despicit, ac pro nihilo cętera omnia ducit, Sed quoniam parum æqui æstimatores eius gestorum uideremur, si quę multo maxima restant silentio prætermitteremus. Etenim quum gloriæ cursus sit sempiternus, atque is non vitæ breuitate, sed rerum gestarum magnitudine, & copia definiatur, iniquum certe esset aliquid reticere, quod alicuius gloriam posset augere. Quamuis igitur magna & pręclara sint, quæ Magnus COSMVS pro patria, & pro Tusciæ salute administrauit, nihilo tamen inferiora, neque obscuriora sunt, quę pro Christiana Rep. & religione sæpius gessit, quæ cuiusmodi sint quæso attendite, vt ex eius erga Christianam religionem pietatis magnitudine, quanta in eo viro, & Duce iactura facta sit intelligatis. Philippꝰ Aesiæ Princeps, vna cũ reliquis Principibus coniuratis Lutherianorum partes susceperat, maximoq. exercitu comparato omnia penè circa Rhenum loca occupauerat. Pontificem, CHRISTIQ. Vicarium ridebat: Imperatorem inuictissimum contemnebat: omnibusq. ueram religionem colentibus, præcipue autem Italiæ, ac Romæ cædes, incendia, cathenas minabatur. Tantus erat clamor, strepitus, fragor. Tanta bellicorum tormentorum tonitrua imitantium vis, vt cœlum ruere penitus videretur. Carolus. Q. numquam satis laudatus Imperij & religionis caussa suscepta exercitum colligit, sæuissimos, atque immanissimos hostes fundit, ac delet. Quo in bello quantus fuerit Serenissimi COSMI peditum, equitumq. usus neminem ignorare historicorum scripta patiuntur. Sed si quis forte cupiat audire, Adest vir summa pietate, ac fide Illustriss. Federicus Barbolanius, cui ob spectatam eius probitatem & fidem, & Reipu. vestrę administratio, & res bellica omnis commissa est: in quo viro tanta est iusti tia, æquitas, & comitas, vt eum merito tãquam numen aliquod colatis omnes atque obseruetis. Ab hoc ut gesta sunt omnia vnusquisque poterit accipere, qui

in eo bello nō interfuit solum, sed pręfuit. Nam Dux noster quamuis non satis adhuc rebus suis fideret, & hostes suos captare, atque expectare occasionem videret, publicam tamen vtilitatem priuatis commodis antepoſuit: atq. non solum pedites, sed Rodulfum quoq. Ballionium cum equitatus auxilio ad Carolum misit. Quantum hoc est? suum & Reipub. suæ periculum negligere, vt Christianæ Reip. laborātis subueniat? Solimanus maximo, ac pene innumerabili exercitu confecto Maximilianum aggreditur, ut quemadmodum antea reliquis oppidis & vrbibus, sic tunc Vienna ipsa, & Regia spoliaret. Viuit adhuc, & mœrens quidem viuit tanto Duce ac Principe priuatus Aurelius Fregosius, qui eo cum delectis militibus missus est. Hic testificari potest quantopere Imperij, & Christianę Reipu. caussam maximus, & religiosissimus COSMVS ei commendarit. Aloisius Borbonius religionem simulans, ducem se Vgonianorum profitetur, bellum, ac seditionem in Galliam concitat, Regem nihil tale opinantem per insidias adoritur. Et certe haud scio an vmquam temporibus nostris maiori in periculo Christiana Resp. uersata sit. At magnus noster Dux quum animaduertisset bellum ab Vgonianis contra religionem excitari, Gallorum Regem, quem non multo ante pecunia iuuerat, tunc religionis caussa multo magis censuit adiuuandum. Itaque fortissimas aliquot suas legiones illuc misit, quibus Sfortiam Sanctę Floræ Comitē pfecit, quarū egregiā in eo bello operā fuisse, & ab iis initium victoriæ factum esse, iā ex eo tēpore constanti fama vulgatum est. Hæc Senenses non gloriosa? non laudabilia sunt? non religiosa? nonne quemadmodum laudes, sic etiā lacrymas cumulant, atque adaugent? Nonne Regem Gallorum tanti beneficij esse memorem? nonne eius vicem dolere, nōne uel mortuo gratias adhuc agere arbitramur? Quid? Maximilianum & beneficio maximo affectum, & affinitate coniunctum, nonne id memoria sæpius repetere? non COSMVM, si maxime fieri posset, viuere ad huc velle existimamus? Carolus Imp. nunc vere felicissimus (videre mihi eum videor Senenses) factus huic obuiā, manu apprehensum exo-

sculatur, lætus, quòd eum ex hisce erumnis in Cœlestem patriam remigrasse uidet, subtristis, quòd Philippum filium COSMI MEDICIS Consilio priuatum dolet. Quumq. multis ei nominibus gratias agat, nam & alia multa, & maxime oportuna in Insubriam, atq. in Liguriam auxilia sibi ab eo missa commemorat, tum etiã illud addit, non se esse oblitum, quantum & sibi, & Christianæ Reip. profuerit: quum ipse ad procellæ illius Christianis omnibus maxime infestæ uires frangendas, ad Dragutum Archipyartam sæuissimum opprimendum, ad Aphrodisium expugnãdum nauigaret. Quo tempore Magnus noster Dux Iordanum Vrsinum classis suę prefectum ei comitem adiunxit. Hinc Melitam simul respicientes; Solimanum eam quoq. insulam sub ditionem suam redigere conantem Philippi Austriaci classe, quam tamen Chiapino Vitellio duce Serenissimi COSMI triremes comitabantur, magno cum dedecore & damno uidẽt esse reiectũ. Inde in Ambracium sinum uertentes oculos, maximum illũ triũphũ, insignẽ illã victoriã, (qua vtinã usi fuissent christiani) contemplantur. Hic lętatur Carolus filio suo tantã victoriã a Deo Opt. Max. fuisse concessam. Lętatur COSMVS videns duodecim triremes suas, partim Pontifi. Max. atq. sanctissimi partim suis ipsius auspiciis in eo pręlio pro Christiana Rep. fortissime decertãtes. At vero quũ se ipsos respiciunt, & gloriã, in qua positi sunt, diligentius intuentur, contẽnunt hæc cętetaq. humana omnia, & leuia, penitusq. inania existimãt, & nisi ea ratione reditum sibi in veram patriam cõfecissent, vixisse eos pœniteret. Videtis iam, credo, Senenses quam sit magnũ & difficile Serenissimũ COSMVM pro meritis laudare; videtis quã sit graue, & laboriosum tantum DUcem digne deplorare. Nam si quę a me inculte & paucis tacta sunt, ornata & longa oratione fuissent explicanda, si tantarum rerum autor quantum res, & iactura postulat lugendus esset, Quod esset tempus tam diuturnum? quæ tãta dicendi copia? quæ tanta lacrymarum uis, quę tantę rei magnitudinem posset exęquare? Sed o me immemorem, o me potius dementẽ. Iam video quid ęgritudinis, quid doloris magnitudo possit.

 perstrin-

perstringit sensus, mentemq. obtundit, vt sæpe etiã quę ob oculos posita sunt cernere nõ liceat. Parcite, obsecro vos, fortissimi, atq. honestissimi equites. Salutare illud signũ, quo Diui Stephani auspiciis insigniti estis, admonuit me. Video mœrorem vestrum, sordesq. lugubres, itaq. nihil dubito quin dolori meo aliquid concedatis, dum vestri uobis doloris conscij estis. An tãtũ magnificentię, pietatis, religionis signũ prætereundũ fuit? Classem habebat COSMVS MEDICES instructã, atq. paratam, neque milites deerant. Verum prudentissimus Dux rem certe maximam, & pręclarissimam excogitauit, vestrũ fortissimi, ac religiosissimi, equites ordinẽ instituit: quẽ quidem cæteros omnes breui ęquaturum, vel superaturum potius, initium ipsum potest esse argumento, uosq. christiano insigni voluit esse insignes, & a Diuo Stephano cognomẽ habere, vt vtrũq. intuentes, pro vera gloria, & pro Christiana religione & Rep. nullos labores, nullaq. pericula reformidãtes, vos ipsi eius classis fortissimi & promptissimi essetis & milites, & duces: neq. vllo vmquam loco, aut tempore religionis nostrę hostes quiescere pateremini. Hęc quanta sint, si quis forte non intelligit, Pium Q. Pont. Max. atq. sanctissimum cõsulat, qui quanti hæc fecerit, vel ex eo patere cuique põt, ꝙ COSMVM MEDICEM, propter eius in Christianã Remp. promerita decreto suo Serenissimũ & Magnum Etruriæ Ducem voluit appellari. Hunc nos lugemus extinctum, hunc deploramus, huius caussa in squallore, & mœrore iacemus omnes, hinc ploratus, & eiulatus undiq. exaudiuntur, hinc plãgore & lamentatione omnia complentur. O afflictam Etrurię fortunam. Ecquis tenere lacrymas poterit? Equidem perpetuas mihi dari lacrymas uellem, ut perpetuo Ducem nostrum lugendo oblectarer. Ex quo dum uiueret tot tãtasq. cæpimus vtilitates & commoda, vt eo etiam mortuo adhuc vigeant: non ante interitura, quàm viuere & esse homines desierint. Quæ quidem quum per se omnia maxima sint, illud certe, quod a me in præsentia recensebitur, omnium, quæ vel supra dicta sunt, vel dici aut, excogitari pręterea possent (nisi is contra naturæ institutum vixisset immortalis) multo

est maximum. Hic eius prudentia, hic eius in suos pietas, hic eius nulla dominandi cupiditas, nisi communis vtilitatis caussa cognoscitur. Serenissimus COSMVS, id quod meminisse omnes potestis, multos iam annos maxima cum iustitia, ęquitate, benignitate, pietate ita rexerat Etruriam, vt nihil ad summam eius prouinciæ tranquillitatem, ac felicitatem desiderari posset. Nulli amplius erãt hostes, quieta erant omnia, & pacata. Deniq. ea erat Ducis nostri conditio, vt (quod vix sperare homini licet) inuidiam superasse videretur. contẽnebat fortunæ impetus, nempe qui eius vires ita domuerat, vt eam sub virtutum suarum imperium iam diu subiunxisset. Quamobrem quum se natum esse hominem sciret, nihilque ardentius cuperet, quàm Tusciam suam perpetuo tranquillam, beatamq. videre, illud etiam intelligebat, nihil ad Rerump. felicitatem posse aptius excogitari, quàm si ab optimo Principe administrentur. Neque ipsum fugiebat, vt qui suos omnes plane cognitos & perspectos haberet, quale Serenissimi FRANCISCI filij sui adolescentis optimi & humanissimi esset ingenium, videbat igniculos, & insita in eo virtutũ semina plurimis iam signis indicare, non multo post esse ad frugem peruentura. Nihil igitur dubitabat, quin sui similis Princeps esset futurus. Verumtamen vt semina illa quę satis per sese valida erant, exercitatione aleret, prudentiamq. adolescentis optimi perficeret, paulum ipse a Reip. gubernaculis recessit, filioq. suo regendæ ac moderandæ Etruriæ potestatem, quasi quasdam tradidit habenas: vt is eundem haberet parentem, & præceptorem, & prudentissimi parentis vestigia persequens, ita assequeretur, itaq. in iis insisteret, vt ea deinde deserere nec vellet, nec posset. Quam prudens fuit hoc consilium? quàm Tuscię omni commodum, & salutare? Sapientissimus COSMVS de animo filij nihil dubitabat, sed a quo nam fuit æquius filium, quàm a patre Reip. regendę rationem edoceri? Quemue fuit æquius filiium erudire quàm patrem? & eum quidem patrem, qui prudentiam alios docuerat? Quamuis enim assidue studeret COSMVS prudentissimos apud se habere viros, quorum consilio uteretur,

tamen

tamen tanta erat eius viri prudentia, vt posset ipse consiliũ dare aliis verius, quàm vt deberet alios consulere. Atqui tanta in eo modestia fuit, vt aliorum sententias libenter audiret. suaq. ipse aliis consilia communicaret, tantumq. ingenio valebat, vt ex optimis quod maxime esset optimum semper deligeret. Quare viros illos, quos & prudentissimos, & fidelissimos asciuerat, multo prudentia sua prudentiores faciebat, nemoq. apud eum vixit, qui non ab eo prudentissimus esse didicerit. Viuunt adhuc viri optimi & prudentissimi, quorũ ipse opera in rebus quibusq. maximis utebatur, qui quanta fuerit eius prudentia, quãq. ab eo fuerint ipsi, non solum adiuti, sed pen edicam instituti, testimonio esse apud omnes possunt. Sed hæc vt nota omittamus. Sapientissimus igitur Dux, vt maxima cũ sapientia semper administraretur Etruria, filium suum sapientissime ipse instituit, vt sibi non imperij solum, sed etiam virtutum hęres succederet, neque ipsum spes & opinio fefellit. Atq. hoc in tantis malis vnum solatium relictum est. Quoties enim Serenissimum FRANCISCVM MEDICEM Magnum Etruriæ Ducem secundum intuemur, toties Serenissimi eius patris respicimus imaginẽ: vt in FRANCISCO uere COSMVS viuere adhuc, & spirare videatur. In quo Serenissimus COSMVS & suæ & Etruriæ quieti plurimum consuluit: suæ quidem ꝙ uel propterea lætissimus ex hac vita decessit, quia virtutum, actionumq. filij sui multos annos is ipse spectator, & autor, non quemadmodum reliqui Principes dubiam de eo spem, sed certissimam eius vitæ, uirtutumq. scientiam secum abstulit. Nostræ vero, quòd qui morte sua, id quod necesse fuit, lugendi nobis caussam dedit, is ipse prudentia, & sapientia sua luctus finiendi factus est autor. Quippe qui eum nobis Ducem reliquit, cuius regendorum populorum rationem viuo adhuc eius parente experti, dubitare non possumus, quin sapientissimi patris sapientissimum filium Ducem habeamus. Quare Serenissimi COSMI memoriam beneuolentia colentes sempiterna, eius interea filium reuerebimur, & obseruabimus, tum vt aliquam, parenti mortuo gratiam pro tantis beneficiis referamus,

mus, cui nihil hoc gratius facere poſſumus, tum ut Sereniſsimus FRANCISCVS (quod præcipue curare noſtrum eſt) non alio nos erga ſe animo eſſe intelligat, quàm quo erga COSMVM patrem eſſe cognouit. Immo tanti eum faciemus, quanti & COSMI filius, & a COSMO, & a Deo oblatum munus faciendum eſt. Neque minorẽ, quàm noſtræ ipſorũ, eius vitæ & ſalutis curam ſuſcipiemus. Sic enim quod debemus & Deo & Principi noſtro perſoluemus Et Sereniſsimo FRANCISCO MEDICE Magno Etruriæ Duce ſecũdo Remp. adminiſtrante tutam, quietam, felicemq. vitam ducemus & Beatam.

FINIS.


NIL CANDIDIVS
F

IN OBITVM

COSMI MEDICES MAGNI HETRVRIAE DVCIS

CARMEN.

Maij Bazantij.

QVOS dabit heù luctus meritos moestissimus Orbis
Extinctum Heroem lugens, cui sæcula nobis
Nulla vnquàm similem post hæc ventura rependent?
Queîs lacrymis æquare potest tam flebile damnum
Hesperia infœlix, cui tantum lumen ademptum?
Quo gemitu infandum poteris proferre dolorem
Thuscia nunc Magno orba Duce? en tu nobilis Arne
Funde pias lacrymas, effusos scinde capillos
FLORA tuos, plantusq; gemens emitte perennes.
O ccidit heù COSMVS Medycum fortißimus Heros,
Quem, quamuis nullus seruari dignior orbe

Extiterit, rapuit duræ inclementia Mortis
E medio semper tollentis viuere dignos.
T radidit hunc nobis quondam pia cura Deorum,
Concordiáque simul, patrioque fauente Senatu
Posset vt hetruscis fessis succurrere rebus.
Commissa Hic nèdum seruauit sceptra, sed Armis
Magnanimi referens animos, viresque Parentis
Hostibus euictis tandem, regnoque subactis,
Imperij fines validus defendit, & auxit.
P ost quàm se victor sæcura in sede locauit,
In Ditione sua quot nam memoranda peregit?
Pro quibus æterno inter nos celebratur honore.
Munificus primùm fecit quanta ocia Musis?
Consectans Medycum vestigia sancta Parentum.
Docta hoc testantur Gymnasia condita Pisis,
Ille vbi constituit studium, studijque Magistros:
Regifico ac sumptu Iuuenes curauit alendos
Addictos Phæbo, quos dura oppressit egestas.
A duena quisquis ades, florentemque inspicis Urbem,
Mirarisque altas Structuras, in quibus æqui
Iura Magistratus dicunt de more vetusto,
Ingentes Xystos, Fontes, celsasque Columnas,
Tum faciles, stratasque Vias, grandesque Colossos,
Librorumque ædes, Pontesque, Aulasque superbas:
A Patribus iam coepta suis, aut ipse refecit,
Funditus aut idem struxit, seruauit, & auxit,
Ergo Duci Magno Hetruscùm sunt debita COSMO.

Dona eadem hæc totum sensit communia Regnum,
In quo Hominum mentes primum pacauit, & vrbes
Antiquas, struxitq; nouas: atq; Oppida muris
Cinxit, & imposuit nomen de nomine COSMI.
Neue Mari hetruscam Sæuus Scytha læderet Oram,
Composuit classem, quæ vix egressa per æquor
Siue feros Turcas, inimicaq; vela fugauit,
Siue ferox semper captiuos reddidit Aphros.
Iustitia rexit Populos, animoq; paterno
Subiectos semper firmo est complexus amore.
Militiæ instruxitq; Acies, bellisq; gerendis
Erudijt Peditum fortes, Equitumq; Phalanges.
Hic etiam statuit, si Mors inimica tulisset,
Construere ingentem Tyrreno in littore Portum,
Quò ferit vnda Maris veterem male fida Labronem,
Claudius, vtq; Nero statuerunt littore quondam
In latio binos: Sic res tendebat ad altas.
Hæc magis externas diffusa est fama per oras,
Unde domi, atq; foris meruit ter magnus haberi,
Relligione pius, diues, tum fortis in Armis.
Hæc magnæ testantur opes, vltricia bella
Exhausta, hæc itidem testantur sanctaq; facta.
Instituit sacros Equites, Equitumq; Magister
Relligione prior, veluti inter sydera Phœbus
Præmicat, haud toto minus hic præfulxit in Orbe.
Illius vnde PIUS summus cognomine Quintus,
Quem penes in terris Diuorum est summa potestas

Regalem capiti imposuit, rutilamq; Coronam
Inclyta pro meritis concedens stemmata Regum.
His in se Mentes Hominum conuertit, & omnes
Laudibus egregijs illum super æthera tollunt.
Extitit, & Diuis carus, queis maxima rerum
Cura est nostrarum, & rectis qui cuncta secundant.
Illorum auxilio permagnis sæpe periclis
Credimus ereptum, placidaq; in sede locatum.
Hinc lætæ illi res: hinc Regnum, & regia Coniux
Eleonora fuit, Natorumq; alta propago.
E quibus ipse duos sacro splendescere in ostro
Vidit: & antè alios genitus FRANCISCUS, auita,
Tum propria virtute nitens spes altera FLORAE
Austriacam magno Regum de semine Nympham
Connubio meruit, sobolem quæ gignat vtriq;
Persimilem generi, magni quæ sceptra Parentis
Et regat, & longum Populis dominetur in æuum.
Quid PETRUM memorē, magnum cum nomine Petrū
Ipse rependat Auū, quanta virtute refulget? (LAM?
Quid memorē Erydani Dominā nūc? quidué ISABEL
Quæ decus est ingens Thuscorum, claraq; ROMAE
Gloria progenerans Vrsino è Coniuge prolem.
Hæc tibi debemus præstantia munera COSME,
Hisce tibi grati nimium vincimur: & his Te
Posteritas ventura colet tua facta reuoluens.
Alme Pater patriæ prima eripiere Senecta?
Nec tibi digna prius totum veneranda, decensq;

Canities caput obducet, vultusq; serenos?
Sic erat in votis nostris tua longa senectus,
Cælitus vt nobis teneris es missus ab annis.
Te patrem pia turba gemens quocumq; reuoluat
Humentes oculos, illi tua mitis imago,
Maiestasque grauis se offert, ceù nobile numen.
Sed postquam Morti moriens nil tradis auaræ,
Corpoream præter Molem, moribundaq; membra,
Ipsa sibi hæc habeat: Tu viues, cætera iam Nos
Mores, Vita, Decus, Proles solantur, & vrbi,
Atquè viris adimunt, altum de corde dolorem.
Viuet inextinctus Magnus per sæcula COSMUS
Perpetuumq; decus tanti iam nominis extat.
Semideosq. inter sedet, æternumq; sedebit
Sedibus in placidis. Diuorum more triumphans.

ANTONII RENERII COLLENSIS.

VEsper vt occidui condit vaga lumina Phœbi
Horrorem tacito nox ciet orbe silens.
Illius vt roseos ostendit Lucifer ortus,
Iam viridis læta luce renidet humus.
Sic tenebræ insurgunt, magno genitore cadente,
Sic noua lux, sceptris te potiente, redit.

IN SERENISS. COSMI MEDICES MAGNI TVSCORVM DVCIS OBITVM,

Ioannis Guadagnii Monterchiensis I.V.C. Carmen.

CLARA propago Ducum Tuscorum Ductor & armis,
Consilioq. potens ardua ad astra meas?
Tuscia qui poterit largo requiescere fletu
Floraq. deijcere mentis amariciem?
Ausonia vt duros gemitus, rapidosq. dolores
Arnus non trahere? ac Tibridis ora ferax?
Heu Cosmus Medices crudelibus occubat vmbris.
Orbem qui Regum Fœdere continuit?
Ter quater, in Cosmo nunc fati legibus acto
Felices fuimus, littora cuncta sonant.
Omnia sed pereunt modo tecum gaudia; cuncta
Commoda vbi nobis te abripit atra dies.
Iucundum pietate Ducem, comitate parentem
Deflemus raptas delicias hominum:
Quiq. ausus vada salsa sequi: & Regna inclita: fato
Atq. suo potius Christigenum rapitur.
Italus inq. tuo interitu de mente fugauit.

Quod decus eximium, militiæ studium:
Usq. tamen Cosmi celebretur gloria Fama
Notescatq. magis dotibus ingenij.
Omnibus inq. locis laudabitur optimus auctor
Prolis Magnorum cuncta per ora Ducum.
Hæc sata & ad pacem; & castrensia signa sequendum
Adiuuet vt Tuscos officiis populos.
Hæc ardet tantum, quantum Trinacria rupes
Fertur in obsequium Flora Beata tuum.
Crede meis dictis: æquabunt istaque magnos
Pignora vel Cosmos Egregiæ sobolis.
Hæc dico vt vobis: vos MUSAE dicite cunctis
Per mare, per terras Iura benigna leget.
Nam Patriæ rectæ vitæ præcepta recepit
Tentet vt exemplis, quem superare suis.
Franciscus Magnus gemmantia sceptra tenebit:
Hernandus Christi signifer altus erit.
Petrus cæruleo depellet lintea ponto,
Cum sint apta suæ Bellica tela rati.
Isabella dabit prolem Europæque Asiæque.
Imperiis dignam, finibus & Lybiæ
Cosmum addentque suo Diui inter numina Regno, vt
Ocia decerpat sedibus Ambrosiis.
Ergo cur simus stultorum more gementes
Non est: Cessemus nos cruciare modo.
Floraque Cara Diis requiescant lumina luctu
Et Magno facias Regia iusta Duci.

SERENISS. COSMI MEDICIS MAGNI DVCIS HETRVRIAE TVMVLVS.

Sebastiani Sanleolini. I. C. F.

HOSTIBVS in bello victis; Senisq; subactis;
Tyrrheniq; auctis finibus Imperij;
Compositisq; simul Populis: sanctisq; rogatis
Legibus, ornata molibus Urbe nouis;
Instructaq; acie campestri; Classe parata:
Stephaniæ erectoq; ordine Militiæ;
Publica post doctis Gymnasia reddita Pisis,
Proposita & claris præmia magna viris.
Tellure, atq; mari post Oppida condita, & Urbes,
Post parta Hetruscis ocia longa suis.
Deniq; post meritis delatam fronte Coronam:
COSMVS & hic omni functus honore, potens
Dux Floræ, Patriæq; parens, Dux Magnus Hetruscus
Deseruit terras victor ad astra volans.

Distichum in Obitum eiusdem.

Hic Princeps, Patriæq. parens, Dux Magnus Hetruscus
Conditur; inq. vno treis capit vrna Duces.

FABII SEGNII IN OBITV COSMI MEDICES M. H. D.

PRO myrto & violis crines tegat atra cupressus:
Inuictumq; gemas inclyta Flora Ducem.
Arne pater lacrymisq; tuis nunc vnda tumescat;
Nil nisi singultus luctus & vrbe sonet.

EIVSDEM.

EXtinctum vt Magnum conspexit Hetruria Cosmum
Procubuit, Lacrymis flebilis ora rigans.
Quas in Narcissos confestim & Lilia versas
Legerunt manibus virgineis Charites.
Floribus his tumulum certatim & Principis alti
Quælibet illarum spargere nixa fuit.

AD SERENISS. FRANCISCVM MEDICEM MAGNVM ETRVSCORVM DVCEM.

Antonii Renerii Collensis.

VT monte impositas cũ fulmine Iupiter arces
Ferire, celsa turriumùe cogitat.
Insida tela mouet Cyclopum educta caminis,
Tonansq; nigro spargit acta turbine.
Non hæc progenies terræ, & gens horrida Aloei,
Vastis adorti depulere viribus.
Sic quoque Dux Magne, & soboles Iouis aurea magni
(Nam sunt Deorum Principes clarum genus)
Sic te, inquam, infesto modò vulnere consternatum
Putarit ille, qui pati esse nescium
Aduersæ validos fortunæ censeat ictus,
Quisquis secunda olim beatus vtitur.
At virtus miranda vitis insignibus vltrò,
Non fessa rerum, nec rudis certaminum,
Sed, veluti igne aurum, aduersis fulgentior vsque
Adest, parata ferre, quidquid est graue.
Ut Boreæ hybernis ingentem flatibus Idæ
Euertere altis arborem student iugis.
Ipsa autem scopulis concesso vertice adhæret,
Immota sic meus regibus claris manet.
Ut solet, æquato cum nusquam pondere libra
Grauata pendet, alterum latus trahens.
Nanque voluptati addictus, metuensque laboris

Periculorum casibus frangi solet.
Fortunæ at potis es trucem contemnere vultum,
Furente proterentis omnia impetu
Actus vt Alcides odiis Iunonis iniquæ,
Tamen malorum haud obrutus grauißimis.
Ille sed æthereum Deus ascensurus Olympum,
Magni reprensus est patris manu Iouis.
Atque adeo æterni dederunt Dij te quoque nobis,
Superstitemq. opisque iam non indigum
Legibus emendes fœcunda vt sæcula culpæ,
Et mollias malis adauctis aspera.
Quid sit opus, melius quisquam non percipit alter,
Summo tibi annuente patre cælitum
Ast vbi, consumpto in curis grauioribus æuo,
Fatale tempus ad salutem expleueris,
In partem acceptum genitor gaudebit Olympi
Videre celsis te piorum sedibus.
Qui benè factorum capit, omni ex parte beatus,
Illic suorum non inane præmium.
Interea fruere vsque bonis clarißime Princeps,
Rerum petito quæ tibi dari vides.
Nos prece sollicita incolumen te poscimus, atque
Agi precamur dulce terris ocium.
At quia consilio sapiens haud indiget vllo,
Quæ sint agenda, solus ipse præcipe.
Vt, quòd Etrusca tibi paret pulcherrima tellus,
Vocetur ore ter beata publico.

AD PETRVM VICTORIVM.

QVI sit dolores, & gemitus pote
Compescere vnquam, ne potius ruat
In lacrymas idem, perire
Ausoniæ decus omne cernens?
Ut læta puncto hoc temporis omnia
Mutata mœstis vidimus? Ut nihil
Mortale firmum? Nec benignam
Fors faciem inuidiosa seruat.
Nam, facta quorum carmine prosequi,
Magisùe scriptis perpetuis fuit
Aequum, illa tristis luctuoso,
(Sic placitum superis) Thalia
Fœdauit, eheu, funere, lugubris
Funesta tractans munera Næniæ,
Ornare eorum quam decebat
Magnificos titulis triumphos.
Lugere quis nam carmine lacrymis
Madente largis desinat? aut magis
Effundet vt vires doloris
Mista graui gemitu querela?
Tu cui rotundo est ore loqui datum,
Aeternitati magnanimi Ducis
Custodiendum trade nomen

Clarisonum veniens in æuum.

Non magna laudum mergere te queat
Moles, profundo ne subitò enates,
Ad lucidas euectus auras
Albus olor fugiente penna.

Te orante nuper, cum iuuenum manus,
Viriq; fortes ora resoluerent
In lacrymas, siccos ocellos
Inde domum retulere nulli.

Aut si tonabas, igne Diespiter
Ut cum corusco nubila diuidit,
Aut si nitens, lenisq;, & amni
Perspicuo similis fluebas.

Mouisse curua sic perhibent lyra
Amphiona olim saxa Ioue editum,
Quod flecteret, quocumque vellet,
Ipse animos precibus disertus.

Sic ore ducta interritus Hercules
Aures cathena dicitur aurea
Torsisse ab obsenis eorum,
Qui dociles aderant loquenti.

AD IOANNEM RONDINELLVM.

QVòd te Phœbus amat, lepido quòd carmine poſcunt
Aoniæ Sacrare ſorores,
Fare, age, Rondinelle, grauis quem cura remordens
Sollicito ſub pectore verſat,
Quàm ferus ille fuit, primus qui corpora morti
Obieciſſe hominum perhibetur?
Triſtibus ille quidem mutauit mitia fratres
Unanimes, caraſque puellas
Diſsidio æterno inſtituens, dulceſque ſodales,
Et veteres ſeiungere amicas.
Idque parum viſum eſt, erepto viuere iuſsit
Dimidio, & perferre dolorem.
Et quoniam Heroes merguntur funere, quidnam
Præterea tutum eſſe putemus?
Cui non aſsiduo tabeſcunt Lumina Luctu,
Dum lacrymis ſic ora rigantur,

Qualis vere nouo gelidis de montibus humor,
Decrescens augetur ab imbri?
O factum benè cum merita illum pœna secuta est,
Quem mala tot memorant peperisse,
Dum petit ætheris ignem subducere tectis
Callidus, atque Ioui dare verba,
Caucasias volucris salienti viscere pascit,
Districtus fera membra cathena.
Quid iuuat hoc etiam, longis cum vulnera tanta
Afficiant cruciatibus omnes?
Mendaces etiam Parcas, crudeliaq. Astra
Veh miseris licet vsque vocare,
At nil proficimus. Tantum patientia vincit,
Quod non sit pote corrigere arte.
Ergo felices animas tua, docte Iohannes,
Quæ syluas, & muta sonare
Saxa queat, lyra sopitos ita suscitet, vt quem
Indigna mors funere mersit,
Mox, quacunque sinu terras fouet Amphitrite,
Pierio decoretur honore.

Antonij Renerij Collensis.

SONETTO DI MESSER MAGGIO BAZANTI.

POI che la cruda, e inesorabil Morte
Del tuo Gran Duca trionfò, nel volto
Ben ti veggo Arno in aſpro pianto inuolto
Con l'afflitta Toſcana: ahi fera Sorte.
Ben furon chiuſe di pietà le porte
Quel giorno: Oh Fato diſleale, e ſtolto,
Che penſaſti ogni bene hauerne tolto,
Ma le ſperanze tue fien vane, e corte.
Perche morto il Gran COSMO *a noi riſorge*
Toſto il chiaro Franceſco a ſi gran Padre
Degno nel toſco Imperio ſucceſſore.
Queſti col proprio innato ſuo valore
Flora hor ti regge, e ti gouerna, e ſcorge
Spoglia le veſti hormai doglioſe, & adre.

CANZONE

DEL CAVALIER GINORI,

IN MORTE DEL SERENISS.

COSIMO MEDICI

Primo Gran Duca di Toscana.

L'ALMO fratel del Tebro, a Flora in seno
Versar' dall'Urna, onde d'amaro pianto
Viddesi il dì, che Marte al pigro corso
Di Saturno s'vnio, ch'atro veleno
A morte offerse, ond'hebbe (ahi fera) il vanto
Del Gran Duce, ch'al fin breue è trascorso
Ella imbrunito il dorso
Fuor delle torbid'acque, e tronchi, e sparsi
I suoi crin d'oro, e di Cipressi, e Faggi
Fulminati i bei raggi
Di fosco nembo ornati, distillarsi
Parea col fiume, e con sospiri ardenti
Misera verso il Ciel formò lamenti.

Dunque al Gran Thosco, ond'all'età nouella
De suoi verd'anni, hebbi ristoro, e pace
Ch'alle mie piaghe interne, opre, e consigli,
Quasi Medico pio diede; empia stella
N'hai tronco il Filo? Hor che sommersa giace
La tema, e tolti n'ha d'onte; e perigli
D'auuerse Lune, e Gigli
E della Fera d'Arbia, che fu in preda
Della Nemea, del Sol d'Alcide insegna,
E vinta hor si tien degna
Che la sua voglia al real nome ceda
Della Palladia Stirpe, al cui splendore
Viue Astrea con Pietà, Senno, e Valore.

Quanti ornamenti ha'l Mondo, al Chiaro nome
Tanti aggiungesti, o Gioue, e tanti fregi
Del tuo Gran Figlio, e mio; perche ne priui
L'Arno, l'Etruria, e me misera, hor come?
Dunque di Friso all'Aureo Vello, a i Regi
Gran fatti, alle Corone eccelse, a i diui
Scettri, col braccio arriui
Nemica Morte? ahi ch'il mondan suo velo
Rapisci sol, che l'opre inuitte, e chiare
Fien sempre eterne, e rare
Quanto l'Alma di Lui risplende in Cielo,
Ch'a supremo Valor, Giustitia, e Fede
Non nuoce tempo, o di Fortuna il piede.

Se d'Hostilio, e di Numa ogn'hor si tiene
L'vn per l'armi immortal, l'altro pel senno

Questi a quanti hebbe il Greco, e Latio, inuitti
E di ferro, e virtù cinti, preuiene
Con gl'alti gesti, e saggi, a lui sol denno
Ergersi Statue, e Marmi, e'n voce, e'n scritti
Celebrarlo, e suoi Editti
Qual di Ligurgo, o del maggiore Augusto
Tagliar in Bronzi, e'n Gemme, Argento, & Oro
E di Palme, e d'Alloro
Mille, e mille sacrar Corone al Giusto;
Muse, hor voi Nenie meste, Elegie mille
Cantate al suon delle pietose squille.

Quanto il Thirren, la Macra, e'l Tebro intorno
Cinge, e dentro dell' Arno, e d'Arbia scorge
Da gran Moli, e Città famose erette
E da Vermiglie Croci il Mare adorno
Vinto da quel desio che'l pianto porge
Send'opre sue, sue imprese, alte, e perfette
Venga a mirar neglette
Da morte fera; e meco in su'l Feretro
Le pompe egregie sue, ch'ornan la spoglia
Con sospir lutto, e doglia
Sacri al Manto Real Corona, e scettro
Il grato odor Sabeo, gl'Incensi, e i Crochi
Il Rogo funeral la Mirra, e i fuochi.

Tutti di negre bende i seni auuolti
Il Po con l'Adria, e'l gran Popol di Marte
E'l Rodano, e l'Hibero, al forte, al saggio
Heroe, rendin funebre honore accolti

Ch'al gran vuopo mostrò la miglior parte
Di se pronta a ciascun; qual solar raggio
Ch', o sia Sestile, o Maggio
A tutti splende, ei di sue forze, e'ngegno
Fu largo, sendo in lui Fede, e Bontate
Venite Ninfe amate
Da conturbati fonti, e fate hor segno
Del duol, che v'ange, e dall'onde Thirrene
S'odin' rochi i Triton', stridin Sirene

Tu del Gran Duce primo, e solo alzato
Ben degno germe, al Regio almo gouerno
Ch'io diedi a lui, libero a te lo rendo
Poi che di gran virtù fortezza armato
Con giustitia, e pietà fiorir discerno
Tu dunque a degni fatti, e nuoui aprendo
Il sentier ch'ora ascendo
Di gloria viui eterno, en'uitta prole
Da tè risurga, eguale al tuo Gran Padre
Ch'io di voi degna Madre
(Mentr'io veggia alzar lei di par col Sole)
Mi pregi, e glorij, e'l pianto hor che m'offende
S'acquete col desio, ch'in te risplende.

Ecco in questa cader dal Cielo vn Lampo
Che Flora di splendor vago coperse
E di chiare acque asperse
Il mortal velo, ond'io non viddi scampo
Canzon' al tuo dolor che questi versi
Fur tinti in Lhete, e nel mio pianto immersi.

IL FINE DELLA CANZONE.